





15

B. C. D.  
DISSERTATIONEM JURIDICAM  
DE  
**PRÆROGATI-**  
**VA LINEARUM**  
IN SUCCESSIONE,  
EX II. FEUD. 50.  
PERMISSV ILLISTRIS JCTORUM  
ORDINIS,  
PRAESIDE  
**JEREM. EBERHARDO**  
**LINCKIO,**  
ARGENTOR. PHILOS. D. & J.U. LIC.  
PLACIDÆ ERUDITORUM CENSURÆ  
EXPONIT  
AD DIEM MARTII, MDCCIX.  
H. L. Q. C.  
RESPONDENS  
**NICOLAUS CHRISTOPH. KOB,**  
HILDBURGHUSA FRANCUS.

---

VITEM BERGAE SAXONVM,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

XVIII.

46.  
224.





DISSERTATIONIS  
DE  
PRÆROGATIVA LINEA-  
RUM IN SUCCESSIONE.

ex II. Feud. 50.

SECTIO I.

§. I.



On sine discrimine dici debet, in Successione allodiali *graduum personalium* tantum prærogativam attendi, lineæque autem proximitatem negligi, quippe facilissima instantia hanc oppugnare licet sententiam. Linea recta enim in infinitum præcedens manifestò lineæ prærogativam de Jure quoque Romano fundat. Ast forsan de linearum collaterali respectu dissentientibus sermo est? Fateor hic ea non incidi via, qua secundum æquitatis imo & Ju-

A

ris

2

ris feudalis normam in certis casibus opus est, nihil.  
Nov. 118. c. 3. omnis tamen aliqua reperies vestigia; *Fratrum filii*  
*v. s. unde excludunt Patrum defuncti, uterque tamen defuncto est*  
*conseq. conjunctus III. gradu.* Quid hoc aliud est, quam ob-  
servare propinquitatem linea, in qua fratum filii  
sunt positi? Nam defuncti & fraternorum filiorum  
stipes communis defuncto propior est, quam stipes  
communis Patrum & illum consanguinitate jungens.  
Regerunt tamen illam fraternorum filiorum præla-  
tionem non radicari in linea proximitate sed potius  
in prioritate gradus, quem nobile Repræsentationis  
beneficium adsignat, itaque notum esse, hosce illis vi  
gradus secundi, quem repræsentant, anteferri, adeo-  
que ipso jure tertio gradu conjunctos excludere. Sed  
primo quidem ipsum Jus Repræsentationis fundatum  
est in propiori linea; 2. Si nec hoc esset, falsum est,  
fratrum filios in respectu ad Patrum defuncti illo ju-  
re uti, sed ratione fratum defuncti, ut in NB. eadem  
linea competentes successores gradu congruo æqua-  
re queant. Hinc si fratum liberi soli concurrunt,

Arg. R. l. de non in stirpes ut antea, sed in capita, non ex jure  
Ao. 1529. §. transmiso, sed proprio succedunt, firmissimo iterum  
Item als N. argumento, eos non ob graduum precellentiam Patruis  
118. c. 3. defuncti anteponi; quam rationem sine dubio secuta  
XVIII. P. 3. DIVI AUGUSTI ELECT. SAX. CONSTITUTIO,  
qua sanctum ut fratum liberi defuncti Patrum ex-  
cludant.

### enponit ob mea §. II.

Sivero putaveris, me hoc ipso Jus repræsentati-  
onis in linea collateralis simpliciter extruere, oppidò fal-  
leris, quia vestigia tantum quædam linealis successi-  
onis,

3

onis te reperturum esse dixi, quorum continuanda series à Legislatore impedita est. Plenior tamen in jure Feud. Longobardico illi locus est, non tantum justo ratiocinio, sed & expresso textu circumseptus. Si enim rationibus pugnandum esset, *succesio linealis* ponderosiores rationes habens *vulgaris graduali* palmam jamdiu eripuisse. Pater enim meus seu alius feendum in me transferendo præsumitur magis mihi & omnibus posteris suis illud concessisse aut concedere saltem velle, quam ascendentibus aut fratri suo & ejus descend. cum amor magis descendat quam ascendat aut in parallelo maneat. Igitur ut huic præsumptioni satisfiat, feendum prius in fratribus mei transferatur lineam oportet, antequam Patrui mei linea jus quoddam in illo sibi prætendere queat. Porro, quicunque defuncto per plures stipites communes e.g. duos, tres &c. junguntur, illorum quoque jus sanguinis multiplicatum, immo validius censendum præ illis, qui per pauciores e.g. unum, duos &c. defuncti cognitioni miscentur. Jam autem qui in proxima defuncti linea constituitur, non tantum ultimum ejus stipitem sed & illum, per quem in remotiori linea positus gradu tamen æqualis l. propior successionem prætendit, necelariò attingit.

### §. III.

In hasce fine dubio rationes junctis aliis pene travit Textus illustris II. Feud. 50. quem pro re nata §. Dumno modo scias, apponere lubet:

„Dummodo scias, quod si quis habens beneficium,  
„quatuor superstitibus filii decebat, & feendum ad u-  
„num solum ex divisione perveniat, & iste superstitibus

A 2

„filiis

4  
„filiis duobus vel tribus decedat, qui Patruelis di-  
„cuntur & ad unum eorum beneficium feudi ex divisione  
„ne perveniat: & similiter iste superstibis filii qui  
„patruelis dicuntur, ad quorum unum feudum simi-  
„liter pervenit: sicut etiam ex aliis superioribus  
„vel primis fratribus supersunt masculi. Si ille  
„qui feudum habet, decesserit nullo filio reliquo: An  
„ad omnes & ad quos perveniat, queratur? Respon-  
„deo, ad solos & ad omnes, qui ex illa linea sunt, ex  
„qua iste fuit. Et hoc est, quod dicitur ad proximi-  
„miores pertinere. Isti vero proximiores esse di-  
„cuntur respectu aliarum linearum. Sed omnibus  
„ex hac linea deficientibus, omnes aliae linea equali-  
„ter vocantur.

Hic manifestissimum successionis cujusdam linearis  
fundamentum adesse cernitur. Non me latet, Con-  
summatissimos JCTos occasione hujus textus magnas  
excitasse lites, quibus componendis etiam peritiores  
impares se judicarunt. Ideoque à materia hac potius  
abstinere debuisssem. Sed quemadmodum in Theatro  
scientiae utrumque pulchrum est & vincere & vinci,  
ita debiles meos humeros discendi excusabit ardor.  
Et licet crambe bis vel ter cocta fastidium plerum-  
que creet, id tamen non contingit nisi delicatulis. In  
quorum gratiam & necesse fuit, in hac Dissert. alia  
quædam addere. Sicut & hoc apud illos me excusa-  
bit, quod nullius ferè sententiam unice sectatus sum, sed  
ex quolibet optimum quodque in gustus mei usum se-  
legerim.

#### §. IV.

Liceat ergo mihi eam arripere opinionem, quæ  
succes-

successionem linearem nec in totum eliminet, nec contra Legis mentem extendat; Ante omnia Casum ritè formandum esse duco. Sempronius, sive sit primus acquirens sive primi acquirentis successor habet beneficium & decedit quatuor superstibus filiis. Hi hereditatem totam dividunt & UNI sive Primogenito s. Secundogenito &c. TITIO feudum cedunt, sibi vel alia feuda cum hoc non cohærentia vel allodialia pro rata distribuentes. TITIUS decedit Cajo & Mævio relicto, qui rursus eandem eodem modo instituunt divisionem & Cajo, qui feudum solus accepit, defuncto, inter filios ejus rursus Lucii tantum ratio habetur in feudo. Interim ex Titii reliquis filiis & ex tribus superioribus fratribus masculi quoque patrueles descenderunt, qui, cum Lucius nullum post se relinqueret filium, omnes vel ad minimum seu linea seu gradu propiores successionem prætenderunt, Hinc quæsierunt: *An ad omnes vel ad quos feendum pervenire debeat.*

### §. V.

Hæc est species facti, cui hoc responsum à Juris feudalibus Prudentibus datum fuit: Ad solos & ad omnes feendum pertinere (habita tamen gradus ratione in linea) qui ex illa linea generali, (habita iterum in hâc specialium s. subordinatarum & in his graduum ratione) sunt, ex qua Lucius defunctus fuit & ad quam feendum ex divisione primeva pervenit, omnibus autem ex hac linea generali deficientibus, omnes aliæ lineæ generales, quarum stipites communes in divisionem illam primævam consenserunt æqualiter sine prerogativa admittuntur, tunc quod ratio linealis successionis cesset, tunc quod omnes

omnes ille linea generales quo in successionem pretendunt, et  
quali gradu a se invicem distent.

### §. VI.

Notes hinc I. ante omnia ex quatuor primis superstitibus filiis quatuor lineas generales oriri, in quarum unam feudum ex divisione ingressum; Ergo II. observes quatuor has lineas, uti fratres (qui fratres sunt) æquali gradu a se invicem distare. III. In generalibus rursus nasci speciales s. subalternas. IV. Feudum dum de linea succedente loquitur & de generali & huic subordinatis secundum prærogativam tamen gradus in qualibet linea cogitasse. V. Ex mente dividentium primævorum *uni tantum* feudi possessionem tributam esse & quidem VI. usque ad linea rectæ interitum. Hinc VII. collateralibus omnibus in lineam *hanc rectam* usque ad primum possessorem influentibus *jus proxime linea eveniente* casu acquisitum esse. VIII. Feudodevoluto ad collaterales lineas lineaë privilegiatae non necessariò uni soli ejus possessionem adjudicandum esse. Hinc IX. ad omnes & solos, qui sunt ex defuncti linea pervenire.

### §. VII.

*Quid linea, quid gradus sit?* Tyrones norunt. Illud tantum majoris illustrationis causa præmittendum erit, lineas ipsas quoque in respectu aliarum a se invicem distare, quam distantiam similiter gradum appellandum esse res ipsa dictitat; Sua sponte ergo gradum in genere dividi posse cernis in *linealem & personalem*, indeque propullulare Successionem *linealem & personalem* s. *gradualem* in specie. Est ergo Successio *linealis,*

alis, in qua gradus linealis primò ratio habetur, post personalis.<sup>7</sup>  
qua proximitas gradus primò in linea post in persona queritur.

His annotatis cum ILLUSTRI COCCEJO sic conclu- Hypomn.  
do: Si feudum saepius (probato aliquatenus mysterio tri- feud. tit. X.  
næ devolutionis) ex divisione ad primogenitum (sive ad u- §. 15.  
um) ejusdem linea generalis, in quam feudum hoc singu-  
lari modo intravit, perdenerit, ufu introducta videtur linearum proximitas s. gradus linealis, donec aliquis ex ea super-  
est: Eavero extincta, redit inter reliquas lineas proximitas  
graduum vulgarium sive personalium.

### §. VIII.

Illud nil interest, an feudum saepius ex divisione ad Primogenitum sive Ultragenitum perveniat, semper enim audio Feudistam loquentem de Uno eorum. Ast unus eorum etiam est secundogenitus pariter ac primogenitus. Neque in hac varietate major difficultas oritur in investigatione proximitatis cum ultimi possessoris linea specialis nihilominus, licet per varios anfractus, ad suæ linea generalis auctorem, si opus est, deducere possit. Ufu ergo introducta videtur linearum proximitas sive quod eodem redit gradus linealis. Prius enim hic linea rationem habeo, quam personæ.

### §. IX.

Usus autem ille introducitur per pactum à Lege inter dividentes presumptum, utpote qui eius, cui feudum cessere, descendantibus omnibus quoque cessisse censetur, donec aliquis ex ejus linea superest, et si in ea non semper primogeniti ratio habita fuerit; Dummodo unus. Nam Primogenitura, qua pri-

*mogenitura non inducit linearum proximitatem, sed quā specialis prælatio huic vel illi lineaē à rerum harum arbitro destinata, quis enim negare vellet, ea facilitate Jus Ultragenituræ, quā Jus primogenituræ, introduci posse; Neque prærogativa primorum genitorum in Natura fundata est, sed in mero hominum arbitrio. Hæc autem lineaē proximitas tamdiu durat, quamdiu ratio ejus; Simul ac enim non amplius respici potest ad lineam ejus, qui individuam feudi possessionem primus habuit, proximitas lineaē etiam deficit.*

### §. X.

Negant Dissentientes, in textu nostro lineaē rationem haberī, sed potius gradus: *Quod enim ajunt, lineaē mentio fiat, non ex vi lineaē oritur, sed quia proximitas gradus in illa linea continetur. Atqui ego dico proximitatem gradus non semper in illa linea contineri; Ubiunque ergo gradu propiores in linea remotiori à gradu remotioribus in linea propiori excluduntur, ibi certe ob graduum personalium proximitatem linea non potest dici propinquior. Si autem gradus remotiores in linea propiori propiores in linea remotiori excludunt, id necessario ex vi lineaē oritur, cum, ut remotiores gradu gradus propinquitatem allegare nequeant. Nec frustra textus noster: Ad solos & ad omnes, qui ex illa linea sunt, ex qua iste (defunctus) fuit. Ait: ad solos, qui ex defuncti linea sunt, Ergo non ad alios, qui extra illam sunt, jam autem extra illam possunt propiores gradu existere, ergo propiores gradu extra illam excluduntur; Si autem hi excluduntur, evidentissime patet, lineam quā lineaē præla-*

prælationem operari, (si propior est,) non gradum,  
personalem.

§. XI.

Instas; *Esse hoc jus singulare, atque naturam specialem successionis feudalium in eo statim, quod descendentes in linea transversa semper excludant ascendentibus in resp. ad ultimum defunctum, Ergo non primario ac per se, sed per accidens & consequenter tantum nomen & rationem linea hic haberi, ac adeoque absurdum esse novam speciem successionis effingere velle.* Verum enim vero Consequentia, hæc est lubrica; Non inficias eo, hoc jus esse singulare, interim tamen non obstat quo minus habeat suam rationem. Nam & exceptiones à regula suam habent regulam; Legislator quippe naturam hanc specialem successus, feud. linearum proximitati superstruit & ita concludit: *Quicunque sunt ex illa linea in quam feudum ingressum est per Defunctum & ejus Majores, illi & non alii ad successionem admittuntur;* Ergo ex voluntate Legislatoris sive potius intentione Consuetudinis vi linea in hoc feudo succeditur. Porro Successio linealis sive agnatica sive cognatica ex jure Primo- genituræ etiam naturam habet specialem distinctam à vulgaribus Success. Oritur namque non ex indole successionis sed ex speciali pacto, Anne igitur, quia specialem naturam habet, successionis linealis nomine insinuari non poterit? Anne in illa succedens non etiam via linea succedit? Cæterum quia Jus hoc est singulare, singularis etiam species successionis oritur, quam ob lineam primario considerandam linealem rectissime nomino.

§. XII.

Objicitur adhuc successioni linearis textus 2. feud.

B


37. ubi

37. ubi in casu felonie idem prorsus observare jubet Feudista, quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus; sed non obest. Sermo n. ibi est de feudo divido; Patet id, quia frater fratrem occidens singitur totam hæreditatem habere velle, Ergo partis tantum possessor supponitur. Neque hereditas hic alia intelligi potest, quam *feudalis*, cum propter eam feloniam committi dicatur, quod non posset fieri in *allodiali*, cuius ratione frater *interfectus* non esset *vassalus*, ideoque nec *Curia Domini subtractus*. Finge tamen fratrem feudum individuum possidentem eam ob causam esse cæsum, ut fratricida allodiali suæ portioni alteram feudalem adjiciat, verba quantum ad ordinem gradus qui continetur in legibus, nil contra me efficient. Supposito enim feudi possesso secundum normam 2. feud. §o. quia felonie erga Dominum non est facta *directio ad agnatum proximorem* (sc. ad eum qui est ex delinquentis linea, nam hoc est ad proximiores pertinere II. feud. §o. nec obest, quod hic nullus sit defunctus, cum delinquens habeatur hic pro feudaliter mortuo) *feudum pertinebit, si paternum fuerit, eodem prorsus observando* NB. quantum ad ordinem gradus (*personalis*) qui continetur in legibus Civilibus, quantum enim ad ordinem linea II. feud. §o. ut jam dictum, disponitur. Ut ergo nulla est consequentia: *Observari debet idem, quantum ad ordinem gradus personalis, qui continetur in legibus.* E. idem non debet observari, quantum ad ordinem linea qui continetur in dispositione feudalí, ita gradus in hoc textu non excludit lineam, quod particula quantum sat probare potest.

### §. XIII.

Linearum igitur proximitatem allegant *Soli & omnes,*

menes, qui sunt ex linea ex qua defunctus fuit, & in quam feudum individuum ingressum est. Illustrationis causa hoc Schema perspiciat.



Ergo respectu aliarum linearum generalium, quas G. H. I. conficiunt, ad solos & ad omnes pertinet feudum qui sunt ex linea generali (quam K. orditur) ex qua defunctus fuit. Ad defuncti A. ergo lineam generalem M. C. D. usque ad K. illud pertinebit, sed quia linea hæc generalis rursus dispescitur in alias speciales & defuncto vel remotores vel propiores e.g. K.D. & K.F.B. C. & linea prima ratio habetur in textu, non gradus personalis, hinc linea propior gradu sine dubio excludet remotorem, atque ita in hoc Schemate Lineæ M. C. cum descendantibus excludet D. atq; apud hos solos & omnes, servato ut dixi gradu lineali, tamdiu subsistitur, donec aliquis ex ea supereft. Quibus omnibus deficientibus gradus linealis prærogativa cessabit, quia reliquæ linea G. H. I. non tantum à primo acquirente E. æqualiter distant, sed quod illæ linea defecerint, quarum stipitibus individua feudi possessio est tradita. Nec obstat, quod dicatur ad omnes & ad solos pertinere, qui ex linea defuncti sunt,

B 2

Ergo

Ergo inanem esse illam distinctionem inter lineas generales & speciales; Nam si ad omnes & ad solos sine distinctione pertinere deberet feudum, etiam nec gradus prærogativa tenenda esset; Atqui hæc necessariò tenenda est etiam secundum dissentientem opinionem. Si autem gradus prærogativa tenenda est, linea autem hic primariò in considerationem veniat præ persona, *linea prius gradum computandum esse, antequam ad personales gradus descendatur, ultrò sequitur.*

#### §. XIV.

*An fæmine quoque in feudo fœminino, alias autem prorsus coincidence cum illo, quod in textu proponitur, comprehendantur sub illis omnibus & solis, qui ex linea defuncti sunt, quæstionis est haud contempnenda. Graviter enim id negare videtur textus 2. feud. 17. ubi hæc habentur: Non patet locus fæmina donec masculus superest ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit investitus. Ergo ad alias lineas generales, in quibus masculi sunt, feudum, neglecta fœmina, devolvetur. Responderi posset, plane alium Casum inibi contineri; sermo enim est de feudo ad plures lineas ex æquo perveniente, Ergo Regula ad hunc casum applicata ad dissimilem extendi nequit; Esse quidem Regulari generalem, Fœminas deficientibus masculis demum succedere, sed hanc formulam secundum naturam feudi substrati explicari debere. Quemadmodum igitur feuda sunt, quæ masculos omnes simpliciter ex omnibus lineis promiscue ad sui possessionem vocant, alia vero, quæ secundum quid ex una linea post aliam, ira etiam fœminas vel simpliciter deficientibus masculis succedere sequitur,*

<sup>13</sup>  
quitur, vel, secundum quid, deficientibus np. masculis in li-  
neis tantum admissis.

### §. XV.

Natura tamen successionis feudalnis alioquin ab-  
horrens à fœminarum admissione hanc distinctionem  
vix approbat. Hinc neque Dominus neque Lex,  
hoc succedentium pactum, quo per individuitatem  
feudi lineæ proximitas inducitur, approbans, etiamsi  
fœminis, deficientibus masculis, hoc feudum concesse-  
rit, illis aliquod pinguis ius dedisse ratione suc-  
cessionis linealis, neque Vasalli in feudo fœmin. pro-  
ximitatem lineæ inducentes, (quia in dubio nemo su-  
um jactare creditur,) eo ipso sese fœminis ultimo  
demum loco vocandis posthabuisse præsumendi  
sunt. Quin & si Vasalli sese posthabuissent, Domi-  
nus tamen ex pacto hoc præjudicium nullum capere  
potest; Quo magis enim fœminæ excluduntur, eo  
major spes Domino illucescit ad feudi aperturam: Ita-  
que sicut sine consensu Domini Vasalli formulam Ma-  
sculi & fœmina non possunt mutare in formulam Ma-  
sculi ut fœmina, ita nec hic intentionem Domini sine  
ejus consensu limitare. Imò si ipse Dominus in te-  
nore investituræ lineæ proximitatem induxisset, &  
fœminas deficientibus masculis simpliciter succedere  
jussisset, nondum probari posset, èas quoque sub be-  
neficio successi lineal. esse comprehensas, cum salvis  
literis investituræ fœminæ post omnes masculos de-  
ficientes vocari possint, juraque singularia strictæ in-  
terpretationis sint.

### §. XVI.

Nisi in tenore investituræ adsit formula, *Fœmina*

B 3

ut ma-

*ut masculi; Deficientibus masculis in qualibet linea; aut feudum ejus sit conditionis, in quo foeminæ ut masculi solent succedere, uti hodie feuda saepius solent suer. Geldr. dari zum Geldrischen/ Clevischen/ Botpvenschen/ Flandrischen/ Münsterischen/ Tuldischen &c. Rechten/ in quibus tot. ante masculos ulteriores, foeminæ facilius succedunt; Sic enim mens ubique satis clara est, nulliusque dubii.*

**Struv. Synt. I. F. Cap. 9. §. 10. n. 8.**

**Fuld. §. 10.**

*Num sub illis solis & omnibus, qui ex defuncti linea sunt, etiam comprehendantur Furiosi, mente capti, Surdi & Muti, Cœci, disquiritur. Resp. Neg. per textum 2. feud. 36. & amplio, id nequidem fieri in feudo Franco, nisi id in investitura comprehensum, aut furiosus dilucida habeat intervalla. Inhabilit tamen excluso, filio ejus perfecto non nocet, modo non, antequam filius natus aut pro nato babetur, ad aliam lineam jam sit devolutum. Num & Clerici Monachique repelluntur? Utique regulariter 2. feud. 30. §. Ex hoc. An & Hermaphrodit? Si masculinus sexus prævaleat, admittuntur, si non, in feudo foem. regulariter non aliter admittuntur, nisi in subsidium, post omnes alias lineas quam diu masculi existunt. Quid si uterque sexus prevaleat? Esse hunc casum Metaphysicum omnes Physici & Medici saniores affirmant; Itaque pro Entibus rationis & Chimæris Jura scripta esse nego.*

### §. XVIII.

*De Legitimatis difficilior quæstio: Sed Difficultas illa magis oritur ex DD. commentatione ad 2. feud. 26. quam ex ipso textu. Ego contra communem sententiam*

15

tiam Naturales omnes in genere, legitimatos s. per rescriptum Principis sive per subsequens matrimonium Jure feud. Longob. inhabiles esse puto. Ipse textus distinctionem nullam adducit, cur ergo contra mentem legis violentam distinctionem ex Jure Civ. superinducerem? In toto porro corpore Consuet. feudd. ne yed quidem de vid. Struv.  
distinctione inter legitimatos post & ante delatam alius suc. Synt. Jur.  
cessionem invenitur. Itaque neque in subsidium neque feud. c. 9. §.  
soli, nec cum aliis ex mente Jur. Feud. legitimati per 3. n. 13.  
subsequens matrimonium aliiq; vocantur. Alia plane  
causa est ante ritus ecclesiasticos post consensu tamen  
matrim. conceptorum vel natorum, qui omni Jure  
communi legitimi sunt, etiam Jure Canonico, cum be C. 9. X. qui  
nedictio mystica ceremonia sit Ecclesiastica Juri Civ. & fil.  
feud. incognita, insuperque matrimonii, si non acci-  
dentalis, naturale tantum requisitum hodie cluat, vid. Ben.  
quod ex Praxi Belgica abunde constare debet. them Holz  
ländischer Kirchen  
Staat.

## §. XIX.

Linea, ut dictum, defuncti extincta, redit inter reliquias lineas proximitas graduum personalium, ut-pote, quæ omnes æqualiter admittuntur, non tantum ex ea ratione, quod lineæ deficientis collaterales æ-qualiter à communi stipite distent, sed & quod in una æquè ac in altera rursus gradus personalis prima ratio babe-atur. Et hic est genuinus sensus verbi ÆQUALI-TER, cum casu textus egregiè conspirans. Frustra-nea ergo sunt, quæ ajunt, Longobardos Latinæ Lin-guæ ignaros pro voce similiiter ÆQUALITER dixi-  
se, & idcirco proximitatem linearum in omnibus illis aliis  
lineis,

lineis, in quas feudum ex divisione non intravit, etiam attendendam esse. Non enim adest urgens necessitas, haec de Longobardis presumendi, præprimis cum tam ex hoc nostro, quam aliis textibus clare demonstrari posset, eos vim vocis SIMILITER aptè intellexisse & optimè à voce AQUALITER separasse.

### §. XX.

Hoc ipso tamen, ut jam præoccupavi aliquatenus, quod omnes aliae lineæ æqualiter vocantur, gradus respectus non tollitur; Nec valet haec consequentia, Lineæ omnes æqualiter vocantur, E. in quavis linea proximitas gradus negligenda est. Nam, uti lineæ possunt esse æquales & tamen relatæ alia ad alias inæqualis gradus personas continere, ita lineæ æqualiter vocari possunt, & tamen personas inæqualiter vocandas continere. Non enim gradus, sed lineæ, æqualiter vocantur, que postis ad succedendum requisitis etiam circa inæquales gradus æquale jus habent. Quin & inæquales lineas ob æquale jus circa gradus observandum, cum aliis æqualiter vocari posse non est abiurandum.

### §. XXI.

Si vero feudum ad alias lineas æqualiter transmissum rursus ex divisione ad unum perveniat, hicque superstibus pluribus filiis decedat & ab his horumque descendantibus ad primogenitum sive unum eorum saepius iterum devolvatur, tunc linearum prærogativam reverti quilibet conjecturari potest. Aequitas enim in paribus causis paria jura desiderat.

II. feud. 54.

### §. XXII.

§. XXII.

Ex hac tenus allatis facile quis regulam adstruxerit,  
quod linearum proximitas tantum oriatur in illis lineis, in  
quas individua feudi possessio saepius intravit, quarumque una,  
exclusa altera, sola ad successionem admissa est. Nimirum  
semper observare licet individuitatem feudi in unam  
tantum personam saepius transmissi, usque dum *Unius*  
*illius* linea in descendantibus defectum fatalem est passa.  
Non tamen Individuitas feudi saepius devoluti ex se spe-  
cata linearum prærogativam causatur, uti neque  
primogenituram, quod recte docuit Arnold. Ingelbrecht. de Success.  
Sed ex mente Legislatoris & Consuetudinis sive pacto divi- in Electro-  
dentium hereditatem hoc feudi qualitas hanc vim lucrari po- rat. §. 78. &  
test. Hinc justa connexio extextu: Quicunque, exclusis  
aliis, saepius uni tantum possessionem individuam tri-  
buit, siveque unitus potius stirpi rem saepius conce-  
dit, quam aliorum quos exclusit, ille linearum  
prærogativam per crebram individuitatem posses-  
sionis inducit; Atqui Dividentes illi quatuor K. G.  
H. I. id fecerunt, E. Cum igitur linea præroga-  
tiva per individuitatem feudi introducta sit, adeo  
que linea potius ratio habeatur, quam personæ; in  
successionibus autem gradus observandi sint, qui pri-  
mò computantur in linea recta, post collateralē, per-  
petua exinde nascitur regula: *Lineas descendentes exclu-*  
*dere ascendentēs*, etiamsi inter ascendentēs lineas per-  
sonæ gradu propiores sint, adeoque notandum o-  
mnino, ex hoc textu Juri Civili incognitum Jus re-  
præsentationis generari, in eo tamen à vulgari dif-  
ferre, quod personæ vi illius gradum linealem sive  
compo.

C

compositum, vi hujus vero personæ gradum perso-  
nalem & simplicem repræsentent.

### §. XXIII.

Dices; argumentum in §. anteced. propositum etiam processurum in feudis dividuis: Nam quicunque exclusis aliis sæpius uni tantum partem feudi tribuit, sive unius potius stirpi partem concedit quam aliorum, qui partem illam non acceperunt, ille prærogativam linearum etiam inducit per dividuitatem; Atqui posterius est absurdum E. & prius. Verum enim vero jam supra dixi, individuitatem ut individuitatem non causari linearum proximitatem, quam potius operaretur gradus linealis propior per voluntatem de successione disponentium. Hinc quia gradus linealis propior eam non ubique producit, quod videmus tam in success. allod. quam feud. & tamen in hoc juris singularis textu gradum linealem cum sua prærogativa triumphare cernamus, necessariò supponenda est causa impulsiva, qua Consuetudo feudalis mota est, eum gradus linealis effectum procreandi, in aliis causis cessantem. Ratio juris non adita est in textu, Ergo ratio in circumstantiis facti querenda est, nam & ex facto jus eruendum esse inaprico est. Quia igitur videmus, feudum *non dividi*, sed semper *in linea recta* sæpius ab uno in unum transferri, & in casu defectus ultimi possessoris linealem successionem precipi, manifestò sequitur, hunc textum ad eos tantum casus necessaria consequentia restringendum esse, quid successione in feodium *individuum*, ab uno in unum *in linea recta* sæpius devolutum disceptant, usque dum de alia Consuetudinis mente constet, quam temere & abs.

19

& absque ratione extendere sive restringere (etiam si forte fortuna intentio Legisl. acu tangeretur) in nostra non est potestate, animumque interpretandi nimis licentiosum proderet. Itaque Consequentia mea utique esset absurdia, si diceretur individuitas, ut Stylo Curiæ Scholastico loquar, causalitas immediata & adæquata linearum proximitatis; Sed hoc non dixi, utpote cum sit mediata tantum, mediante nimirum voluntate Legislatoris, qui præcise vult, ut in hoc feudorum genere individuitas linearum proximitatem operetur. Itaque supposito hoc textu Major, mea est suffulta, subducto labitur. Ego de individuitate habeo textum, qui ita ratiocinatur, E. consequentia mea Juri est superstructa, Major argumenti oppositi textu caret, cum de feudo dividuo altum sit silentium, Ergo ab illo ad hoc titubans est illatio.

§. XIV.

Nota ergo in feudis dividuis successionem linearē cadere, firmiterque mihi persuasum habeo contra mul- torum opinionem: Neporem ex fratre à Patre excludi. Interpretatio enim juris singularis est restricti- va, atque ideo extensivæ præferenda regulariter nisi ratio, sub quam venit casus, ad quem extensio facienda est, sit causa unica & adæquata, quæ LLatorem movit, ut docet H. Grotius. Quis autem non videt successiones in feudis dividuis toto cœlo differre ab individuis, ut adeoque ratio, quæ ex individuitate fluit, ad feuda dividua æquè se se habeat ac visibile ad invisiibile. Neque enim 1. ratio hujus textus cum Nat. Succidentibus in natura generali successionis feu- dalis circa descendentes, qui adscendentes omnes

Zœf. de.

feud.c.10. §.

40. Struv. c.

9. §. 7. n. 4.

Ludw. in-

di. Tr. p. 216.

Eyben E-

lect. feud.c.

7. §. 14.

l. 2. de I.B. &

P. c. XVI. §.

20. 2. citatus

a B. Schilt.

in Diff. de-

ad invisiibile.

Necesse est.

IV. §. 16.

C 2 exclu-

excludunt, quæri potest, cum jus singulare hic contineatur, ut verba: *Dummodo scias & Respondeo &c.* satis inauunt, adeoque negandum sit illud suppositum, quod nec 2. probari poterit ex pr. nostri textus, ibi: *Successionis feudi talis est natura, quod ascendentes non succedant.* Siquidem hæc verba intelligenda necessariò sunt de ascendentibus in linea recta, non de illis in transversali; Si enim hoc esset, ascendentes in linea transversali, deficientibus etiam descendantibus collateralibus plane non admitterentur, quod contra omnem experientiam & theoriam affereretur.

### §. XXV.

Nota porro, Lineam, in qua *devolutio feudi in unum*, initium capit, jus proximæ lineæ tum demum acquirere, si devolutio sit multiplicata. Duo enim puncta sunt hujus juris introducendi, 1. *Individualitas* & 2. *propagatio ejusdem*. Ergo Fratris nepos à Patruo defuncti excluditur in casu non propagatæ individualitatis. In casu propagatæ Patrius excludetur. Cæterum ad normam successionis hujus Tutelam quoque mensurandam esse, quilibet jam cernit, oriturq; ultrò distinctio *Tutela linearis & gradualis in specie*. Hæc jure Comm. Civ. in allodialibus & Feudalibus dividuis, illa in feudis ab uno ad unum devolvendis se sistit; Proximioris ergo lineæ agnati, habita tamen inter se graduum personalium ratione, Tutores existunt. In feudo fœmineo non aliter Cognatus, nisi deficientibus omnibus agnatis à primo acquirente descendantibus, habita iterum prius linearum, post graduum personali ratione, Tutelæ munus suscipit; Quo enim modo quis succedit, eo quoque tutor est per tritissima jura, adeoque brevissimis hæc tantum indicasse sufficiat.

DIS-

21

DISSERTATIONIS  
DE  
**PRÆROGATIVA LINEA-**  
**RUM IN SUCCESSIONE.**  
ex II. Feud. 50.

**SECTIO II.**

**§. I.**

**Q**uoad Praxin Juris Longobardici in terris Europæis, ubi illud receptum est, aliqua tangenda sunt, absque enim applicatione illius dicta peregrina forent. Recipitur autem Jus quoddam aut *cum abrogatione antiquioris*, aut *in subsidium retenti*. Illud, cum Jus Longob. ex Scholis in tribunalia Europæa serperet, factum esse nunquam ostendi potest, uti & id ipsum Celebratissimus B. Schilterus in præfat. Juri Allem. præfixa solidissimo demonstravit judicio. Subsidiariam ergo tantum autoritatem sibi vindicare poterit, qualem olim forsitan habuit Jus honorarium à Prætoribus Romanis Juri Civili adjunctum. Porro Jure hoc subsidiario utentes aut sunt subditi aut *certo modo imperantes*; Aliter enim iura observant utrique: Quippe aut introducuntur per voluntatem superioris, aut per vinculum fæderis s. pacti. Ita totum Imperium cum consensu Statuum tacito vinculum Jur. feud. Longob. admisit, ut eo latere, quo Proceres, ut subditi ad Majestatem Imperatoris & Imperii respiciunt, illius observantiam ex recepto venerarentur. Eo autem latere, quo se se invicem Principes

cipes ut pares Superiorem nullum habentes intuentur, quis Juris Longob. receptionem *per legis nexum factam* dicere cum ratione poterit? Igitur & vi superioritatis suæ contra communia jura subditis suis succedendi normam præscribunt, quam sive in gradu lineali, sive in gradu personali fundare velint, illorum utique relictum est arbitrio.

### §. II.

Videant alii, an Principes, (qui ratione Juris Allemannici, & Saxonici imò & Longobardici eo respectu, quo dixi, utique etiam Majestati Imperii subordinantur,) subditis suis ratione success. linealis alias dederint leges. Plane totum Jus Allemannicum & Saxonum de Lineali Longobardorum successionē tacet. Aliam sāne prædicat, quæ ex antiquissimo *Prīogeniture* jure similem habet effectum, de qualius B. Schilterus & alii. Superinduxerunt autem Status in suis territoriis Juribus Communibus & Civile Rom. & Feudale Italorum, anne hoc ipso & di-ctam successionem? Videtur sāne, in quantum nihil abrogatur, sed Juri Patrio additur. Itaque cum videamus Successionem linearem Longobardicam, non tantum magis confirmare eam, quæ Germanis ex jure Prīogenituræ oritur, quippe eodem ferè modo secundum gradus lineales in utraque succeditur, imò uti in appanagiatis, (in quibus Jus primog. cessat) successio linearis, ita & in lineis generali. Longob. jure non admissis deficit, sed & magnæ esse superstructam æquitati, ut supra jam innui, quidni Jus Germanicum ab eo suppleri poterit & debebit, *cum receptum sit.*

### §. III.

## §. III.

Principes quoque erga Principes ex consensu-  
cito, (qui pactum ejusdem nature inducit), eo respe&tu,  
quo pares sunt, Jure hoc recepto utuntur, quod per  
contrariam iterum tolli potest voluntatem, quæ ta-  
men haud ita libera est in habitu ad Imperatorem &  
Imperium, quando nimis in hujusmodi causis sum-  
mis subjiciuntur tribunalibus. Illud certum est, in feudis  
individuis & regalibus per pactum expressum talibus regu-  
lariter Successionem Francicam s. linearē ex jure Pri-  
mogenituræ valere, sed quia evenire potuit, quod  
feuda alias dividua ex divisione succedentium uni eo-  
rum sepius adjudicata fuerint, linearum proximitas  
si primogenito datum feudum, ex analogo jure primog.  
si ultra genito ex alio pacto presumto introducta videri  
potuissit; Hinc quia Jus Longob. in subsidium assum-  
tum est, hoc vero tacitum succedentium sibi invicem  
pactum e& expresse confirmet, ut linearum proximitas  
per deviationem crebram feudi ad unum in consideratio-  
nem veniat, optimo fundamento asserere possum, hanc  
Jur. Longob. dispositionem & hodie adhuc in Imp.  
R. G. ex unanimi voluntate radios suos legales effun-  
dere.

## §. IV.

Sed immane quantum à Jure German. iterum  
restringitur. Nota est omnibus, qui rerum Germa-  
nicarum superficiariam saltem notitiam habent, Vir-  
tus investitura similitanea vulgo der Gesamtbten Hand;  
Hanc enim, sive ejus renovationem, collaterales non  
petentes ad feudum etiam antiquum ex jure sanguinis  
solo

solo non admittuntur, per Cap. XXI. Jur. Sax. Feudalis  
 Const. E- textum solennem: Es vererbet niemand kein Lehn, denn  
 lect. 32. allein der Vater auf den Sohn. Itaque ad oculum claret, Jus  
 princ. & v. Longob. in casibus, ubi omnes alia linea simultaneam  
 Wann sie investituram, seu ejus renovationem non petierunt, repellit,  
 p. 2. H. Pif. adeoque deficiente hanc omnes alias lineas neque  
 l. 2. q. 19. n. secundum linearum proximitatem, neque secundum  
 41. & seqq. gradus personales, neque æqualiter neque inæqualiter  
 in feudi sèpius ab uno in unum devolutis vocari.  
 Non enim Jus. Long. receptum est, ut patrium abo-  
 leret; et haec vis Investituræ simultaneæ adeo gene-  
 ralis est, ut se ad omnia tam regalia, quam minus re-  
 galia feuda, etiam ad ea, in quibus successio linearis  
 ex jure primogenituræ viget, extendat; Quare et  
 collaterales in linea ipsius primogeniti ad simultaneam  
 investituram petendam obstricti sunt. Conf. B. SCHILT.  
*Diss. de simultanea Investitu, Principum Imp. occasione suc-  
 cess. Lauenb. conscripta.*

### §. V.

Nondum per hactenus dicta Jus Longob. in fora  
 Germaniæ receptum sat restrictum est; secundo ad-  
 huc limite opus habet. Nam etiamsi Feudum ab  
 uno in unum sèpius devolutum, lineaèque collaterales  
 de eodem feudo simultaneè investitæ sint, proximitas  
 lineaè nondum exsurgit. Uti enim simultanea inve-  
 stitura jus sanguinis non tribuit, ita nec proximitatem  
 graduum sive linearium sive personalium inducit.  
 Unde & simpliciter simultaneè investiti ex Jure  
 Sax. communi omnes simul æqualiter succedunt; Ad-  
 denda igitur est in pactis simultaneæ investituræ clau-  
 sula: nach rechter Sipzahl, qua præsente Jus Longob.  
 in

in casu habili suam demum exercebit operationem. Illastr.  
In Marchia tamen *clausula illa simultaneæ investituræ COCCEI.*  
in esse creditur, quod speciale est.

Hypomn.  
feud. tit. X.

§. VI.

§. 7.

Sed & Jure Allemannico simultanea investitura.

Agnatis jus succedendi tribuit, ut itaque textus no-  
ster in terris, quæ illo jure reguntur, rursus eodem  
restrinxi debeat modo. Probatur id ex lege Universali B. Schilt.  
Conradi Imperat. Ao. 1027. lata, quam sequitur ipsum D. S. de Ita-  
Jus Feud. Allem. Cap. LXIII. §. 2. *Es erbet niemand Leben, vestit. Si-*  
*vvenne der Vater uff den Sun.* Qua etiam ratione moti mult. Princ.  
Celeberrimi Juris Consulti Argentoratenies Responso Cap. II. §. 2.  
Ao. 1706. dato Interpretate Excellentiss. D. FELTZIO, & 3.  
ob neglectam simultaneæ investituræ renovationem  
in feudis quibusdam Alsatiæ superioris pro Illustrissimo  
DN. DE LA H. contra DNN. B. de R. pronunciarunt,  
siquidem perpetuus in Alsacia agnatorum mos fuit, re-  
novationem investituræ mutatis possessoribus aut  
per se aut procuratorem, (qui Gallis *tenementier*, Ger-  
manis *Lehenträger* dicitur,) petere. Ergo Summa-  
usus Practici in foris Germaniæ, ubi secundum Jus  
commune judicatur, quoad nostrum textum, hoc re-  
dit: *In feudo sapius ab uno in unum devoluto per divisio-  
nem proximitas linearum tūm demum inducitur, si linea o-  
mnes collaterales nach rechter Sipzahl/ aut simul investi-  
te aut datis casibus investitura simultanea renovationem pe-  
tierint.* Secundum Jura particularia autem hæc ge-  
neralis Regula valebit: *In quacunque provincia, ubi Jus  
Feud. Longob. receptum est, juri communi per speciale sta-  
tutum quoad investituram simultaneam derogatum est, ibi  
quoque proximitas linearum in sapius allegato casu laxiori  
effectu locum habet.* Sic in Marchia formula nach rech-

D

ter

Hypothesis  
X. iii. bus  
C. 2. 3. 4.  
C. 2. 3. 4.  
C. 2. 3. 4.  
C. 2. 3. 4.  
C. 2. 3. 4.

ter Sipzahl / in pactis simult. investit. subintelligitur, itaque hac absente *supposito casu textus nostri proximitas linearum nilominus valebit, quod tamen Juri Sax.* (quo sine dubio Marchia alias regitur) utpote quod clausulam illam non præsumit, inconveniens esset.

### §. VII.

An illi, quos supra *ex solis & omnibus, qui ex linea defuncti sunt*, per textus feud. exclusi, in Germania quoque excludendi sint, quæritur: Et primo quidem id de quovis recto feudo sacerdoti fere clarum est Jure Communi, sed an & de Ecclesiastico? Brocardicum mihi occinitur Germanicum: Krumbstab schleußt niemand aus. i. e. Feudum Ecclesiasticum, (quod Germani à Camboca sive pedo pastorali Krumbstab - Lehren appellant,) omnes ad successionem admittit, Ergo dato casu ratione feudi Ecclesiastici Mulieres, Clerici, Surdi, muti, Cœci, Legitimati &c. proximiratem lineæ allegare poterunt? Sed aliud est, *ex usu locorum sepius & facilius admitti*, aliud vero generali *& ex natura rei non excludi*. Vix enim probabitur feuda Ecclesiastica in se spectata exorbitantis illius indolis esse; Krumbstab ergo schleußt niemand aus in locis illis, ubi ex usu, adeoque jure particulari, feminis plus favetur, non autem ex Consuetudine Germaniae universali. Conf. illustr. COCCEJUS dissentiens à Thummermuthio Tr. Krumbstab schleußt niemand aus. Sic Jure particulari Electoratus Saxonie Clerici à feudi antiqui successione removeri non solent contra Jus Sax. commune, modo simult. investit. participes fiant.

### §. VIII.

De Legitimatis idem dicendum. Hi enim etiam si sunt legitimati per subsequens matrimonium de jure Communi

Hypomn.  
fend. tit. X.

§. 7.

Carpz. G.P.

C. 3.28.D.2.

Struv.c.9.

th.9.

27

muni tam doméstico quam recepto Jus proximæ lineæ  
prætendere nequeunt, nisi in tenore investituræ aliud  
prospectum, aut specialiter à Rege sive Principe ad suc-  
cessionem habiles facti, cuius rei exemplum illustre  
exhibit Diploma Ruperti Palatini, recensitum à B. Comm. ad  
Schiltero, ex quo patebit, naturales filios per subse- Jur. Allem.  
quens matrimonium legitimatos tamen necesse habu Cap. XL. p.  
isse ad feudalem quoque successionem à Superiore le- 231.  
gitimari. Est autem ejus Tenor hic:

*Wir Ruprecht &c. Agnes von Landenberg Grave Han-  
sen von Habsborg Herren zu Lauffenberg elich Husfräu-  
wen und auch solich Kinder als er und dieselbe sin elich  
Husfräwe itzund mit einander babent oder die in Got-  
bernach verlitten wîrdet, begnadet und befryet, begna-  
den und befryen sie in Kraft diß Briefs und Romischer  
Küniglichen Mecht Volkkommenheit, also das sie solich  
Manschafft und Lebenschafft die der obgen. Grave Hans  
oder andre Graven von Rom. Keysern oder Konigen oder  
von andern Fursten G. und W. haben und tragen, auch  
haben und tragen und der messen sollen und mögen als NB  
ander Graven Kinder von almenniglich ungehindert. &c.*

Quod si dicas, filios hic intelligi non naturales, sed  
ex inæquali matrimonio natos, qui eapropter quod  
non sint ebenbürtig, i.e. ejusdem nobilitatis & dignitatis,  
legitimandi sint, respondeo per me id licere, cum  
nihilominus ex hoc diplomate assertum meum pate-  
scat. Si enim hi, qui tamen semper legitimi fuere,  
non Ebenbürtige sunt, multo minus tales erunt legitimi  
per subsequens matrimonium. Confirmat hanc  
connexionem Diploma Rudolfo von Zeiffenheim ab  
eodem Rudolpho datum, in quo expresse ex concubinâ  
postea in matrimonium ducta natis liberis jus succe-

D 2

den-

dendi concessit, eosque Rittermässig lebenbar und Schilt &  
und Wapens genossen gescheppet und gemacht. Imo cavite  
das das Gesetze und Gewohnheit &c. in dem Capitel das an-  
fabet Naturales nit schaden sollte. Hulc juri acriter ad-  
huc inhæret Marchia Brandenburgica, in qua per-  
speciale edictum tales legitimati, etiam si pater & ma-  
ter sint nobiles, non succedunt. De Legitimatis per  
q. 38.  
p. 226. & Rescriptum Principis idem sentiendum, quem in fi-  
228. nem conf. Celeb. Schilt. c. l.

### §. IX.

Illud adhuc notandum puto, eos qui ob gradus  
linealis prærogativam Tutelam agnaticam sive legi-  
timam prætendunt etiam simultaneæ investituræ ju-  
re in Richter Sipgahl fundato instructos esse debere.  
Si hoc non habent, nec ad Tutelam ratione hujus feu-  
di admittentur; Nam qui in feudi successione nullum  
jus habet, ille quoque successionis illius consequens,  
quod utique est tutelæ officium, perdit. Hodie enim  
adhuc tota & unica legitimæ tutelæ ratio est proxima  
spes succedendi. Et haec secundum Jus Comiuhe,  
Quælibet enim particularia perlustrare velle jura, in-  
finitæ molis esset nec pro ratione instituti nec pro juve-  
nili ætate mihi imponenda.

### §. X.

An Galliæ rationes in privatis juribus linea proximi-  
tatem ex nostro texiu admittant paucis adhuc percurren-  
dum. Feuda in usu esse & fuisse demonstrat non tantum  
Origo Gallorum ex potentissima Francorum natione  
sed & Jura propria, quæ de illis invaluerunt. Con-  
cessit totius Regni Principales Consuetudines Caro-  
lus Molinætis, doctissimo Comment. à se illustratas.  
Non tamen hæ obstitere, quo minus & Long. Consu-  
tinibi

Illust.  
Stryck, E. I.  
F. Cap. XV.  
q. 38.  
p. 226. &  
228.

Nov. 118. C.  
4. A. B. t. 7.

Inibi discriminatae fuerint, eo, quo Jus Civile rece-  
ptum est, fato. Itaque per Regum tacitum consen-  
sum hanc tenet in tantum approbatæ sunt, in quantum  
vel Constitutiones, vel conditio terrarum juris scripti  
vel non scripti subsidium earum absque laesione æ-  
quitatis & præjudicio tertii admiserunt, & in quantum  
per contraria, quæ vocant *Parlementorum Arresta*.  
Consuetudines assumtæ ad pristinum terminum non  
sunt repulsa.

### §. XI.

Videndum primò an linearum proximitas ex Primogeni-  
tura locum habeat, nam ab hac ad successionem linearum no-  
stram rite argumentum ducere licet. Statim autem deprehendimus duplex Primogenituræ jus. Aliud in bonis individuis, &  
regalibus, aliud in dividuis & privatis. Illud ferè coincidit cum B. Schilt. in.  
Germanico veterique Francico & ratione Paragii plenius est <sup>Diss. de Pa-</sup>  
Hoc singulare plane est & à Germanico foro exulans. Primo-<sup>ragio & A-</sup>  
genitus enim Gallus in feudis quædam præcipit, & reliqua cum panagio  
fratribus habito tamen iterum respectu juris sui præcellentis di-<sup>§. 23,</sup>  
vidit. Sic enim Molinæus: Quant pere & mère ayans fiefs & he- Consuet.  
ritages tenus noblement, vont de vie a trepas, délaissez deux Paris. §. IX.  
enfans, venans à leur succession seulement. Au fils ainé pour de mat.  
son droit daisneesse appartient par præciput en chascune des feod.  
dictes successions, tant de pere que de mère, un hostel tenu  
en fief tel qui veut choisir pour son manoir principal avec les  
deux tiers des dicti fiefs & heritages tenus noblement. Et à  
l'autre des dicti enfans compete & appartient l'autre tiers & residu  
dictis fiefs & heritages noblement tenus étant des dicti succes-  
sions., Q. An in hac primogenitura linealis successio locum ha-  
beat? Negare id Consuetudo Paris. viderunt: Par la dille consti. §. 20. et. Adde  
me, en ligne collaterale n'y a point d'aisneesse, i.e. in linea collatera. mat. feod.  
rali jus primogenitura non attendit. Si itaque primogeniti  
linea collateralis non attenditur per Consuetudinem generalem & quasi  
Regulam, secundum quam jus dubium interpretari debemus,

D.

proxi-

proximitas linea<sup>e</sup> ultra geniti multo minus in dubio attendetur,  
qua<sup>e</sup> est in casu textus nostri. Et licet Jus Longob. receptum  
sit, tamen si in aliquibus sit directo contra Jura intestina, non  
erit observandum. Sic & porrò foemina<sup>e</sup> à lineali successione  
§.26.tit.1.de videntur excludi: *Entre filles soit en ligne directe ou collaterale,*  
mat. feod. *il n'y a point daisneesse.*

## §. XII.

Verum enim vero hisce Consuetudinibus Jus Longobardum non directo contrariatur. Loquitur enim Gall. Jus de Jure primogenitura privato in bonis dividuis, quod diversum est à jure proxima linea per iteratam devolutionem feudi ab uno in unum exorto. Et etiam si primogenitum in nostro textu in locum unius supponeremus, casumque formaremus, quo Primo-genitus Gall. ex divisione Majorum à primogenito quoque accepit feudum non dividendum, in hujus tamen linea Collaterali obtineret linearum prærogativa, utpote qua<sup>e</sup> respectum tantum habet ad hoc feudum ab uno in unum transmittendum, non autem ad illud præcipuum, quod in bonis dividendis Majores ex jure primogenitura acceperunt. Hic enim non ratio habetur primogenitura, sed illius linea, qua<sup>e</sup> ex speciali provisione pacti à Lege præsumti in possessione certi alicujus feudi prælata est. Ex hac ergo primogenitura natione præcipui negata non illico negabitur proximitas linea<sup>e</sup> in genere. Ast si Primogenitura Salica qua<sup>e</sup> locum habet in individuis, prohibetur, hæc nostra linea proximitas cessare deberet, cum in modo succedendi ferme conspiret, licet ratione causæ efficientis & aliorum effectuum toto celo differant. Ut enim proximitas in illa per pactum & individuam rei possessionem inducit, Ita & in hac pactum, licet præsumptum, & individuitas, illius causa est. Sed hæc tantum prælata sunt, ut ostendatur Jus Longob. in hoc punto ne quicquam contrariari Juri Gallico, ideoque optimo fundamento quempiam, si Casus per omnia nostro textui similis daretur, ad hanc dispositionem etiam in summis Tribunalibus Regni provocare posse censeo, salvo omnium meliora sententium judicio.



Wittenberg, Diss., 1703  
H-7



SB

W 78



B. C. D.  
DISSERTATIONEM JURIDICAM  
DE  
**PRÆROGATI-**  
**VA LINEARUM**  
IN SUC

EX I  
PERMISSV ILL  
O I  
P

JEREM. F  
LIN

ARGENTOR.  
PLACIDÆ ERU

AD DIEM

NICOLAUS C  
HILDBUR

VITEM.

Typis CHRISTIANI

